



6463



R. XX. 5. no. 130.

26)

JUBILATE

Vernale,

Tamquam

Sermo de Tempore;

Die vicesimo tertio MENS. APRIL.

Qui

VIRO,

PER-REVERENDO juxtim ac DOCTISSIMO,

DN. EORGIO

Boff /

CHRISTI ejusdemq; Ecclesiae, quae Ol-

senae est, Ministro, Singulis Boni Archidiaconi Officiis
quam optumè merenti,

Felix Nominalis est,

Et in DOMINICAM JUBILATE incidit;

Pro re nata non incommode

Ab

ANGELICANA,

Musathenâ Laurigerâ

ANANIÆ Engelschalls /


CONSIDERATUM,

Debitaq; Observantia gratia

CONSECRATUM.

A. ERA. CHR. M. DC. LXXIII.

OLSENÆ, Litteris GODOFREDI GÜNTZELII,



Trochæus.

JUBILATE, Gentis atq; Mentis Affectæ bonæ!
JUBILATE, nunc novus recurrit annus, & vetus
(Quæ JEHOVÆ multimammii cluit clementia)
Cessat EJULATE; JUBILATE, nam post NUBILA
Antè-brumæ nunc sequuntur læta Veris JUBILA,
Siderum Rex & Decus, SOL, blandius cum PLEJADE
Splendet, aër intepet FAVONIS spirantibus;
JUBILIS inebriantur oscines in aëre,
Et manipulus squameus latens in imò gurgite,
Piæ TELLUS, omnium parens, superbit floribus
Ac ocellis JUBILORUM mille formas exhibet.
SYLVA pubescit comis, ridentq; prata gramine;
Ludit in pratis pecus, saltat per arva dulcia
Atq; per silvas NAPÆARUM cohors, OREADES
In jugis Pindi suas ducunt choræas, verbulò:
Cuncta, quæ videntur in salò, solò, nec-non polò,
Nunc resultant JUBILIS, hinc JUBILATE cum Solò,
JUBILATE cum Salò, quin JUBILATE cum Polò.
JUBILATE Vos Synergi cum Synergò BOCCIO,
Cujus Annalis Dies dextrò redambulatur pede;
Ecquis ergò JUBILORUM sit pudor? quis sit modus?

JUBI-

JUBILATE cum Parente Liberi! cum Coniuge
JUBILA Coniux! Poëta cum Poëta JUBILA!
JUBILAQ; cum Catecbetâ fidelis Concio.
Promeretur ampliora ponderosior labor
Dona. Prestitit Vetustas, quod negare non potest
Seculum recens, Theoris & DEUS nos hoc jubet.

Quum celebrarent suorum Nominum Solemnia
Ethnici quondam, piabant semper Agdistensium,
Quippè Natura deastrum, jubilantes florea
Messe, libis & meri præstantiore Nectare.
Ditiores thura promebant acerrâ lanceq;
Insimul plenissimâ, sed grana pauca pauperes.

VIR VERENDE! si valerem dona ferre talia,
Jam lubens ferrem: sed ut nobis honores desient
Turis & Palmæ, litabo farre gratus, quod DEO
Gratius, quàm si maderet purpurante sanguine
Ara tauri, cuius aurò fulgurarent cornua.
Nam quid immolare victimas cruentatas iuvat
Perperis diis? quid Ara lacte sparsò candida
Et Salis micâ, pudicis vincâ verbenis iuvat?
Sanctior sinceriorq; cultus unius DEI
Triplicisq; Gentium delira proscribit Sacra.

Nos TIBI congratulamur, & nisi scholasticus
Nunc labos hoc impediret, melleò melò Tuas
(Ceu solet Poëta) laudes publicare mens foret.

Nam

Nam Tue simentis indolem vacivus sim potis
Prædicare, non deesset magna rerum copia.

Æviterna Fama buccinando per Mundi plagas
Didit hinc & inde, qualis ardor à Cunis statim
Entheis ex asse TE sacraverit Libethrisin.

Adde, quòd commendat atq; glorià laudabili
Vita TE dabit canendum subsequis nepotibus.

Hinc nec est, ut copiosè vota chartas expleant,
Sufficit rogâsse NUMEN, ut potens indulgeat
Robur atq; sanitatem, quò diu nostro Bono
Salvus & felix remetiariis annalem diem,
Et statuta sacra supremi Monarchæ persones,
Donec hujusdem diurnæ lucis usura satur
Et senectâ lassus annorum, superni Principis,
Cujus es Minister, intres sempiternum Gaudium,
Tuncq; demto sine fundas JUBILORUM JUBILA.



Hist. Bilder. 124 ^{cm}
=

